

*Tu quis es?* aliud non audiremus, quam quod Joannes respondit: *Non sum*. Tunc ex omnibus his potentissimus, sapientissimus, opulentissimus, pulcherrimus? *Non sum*. Tunc es ille citharædus, saltator, disputator? *Non sum*. Tunc illa saltatrix, speciosissima dea urbis nostræ: *Non sum*. Ita interrogabant et stupebant prætereuntes Jezabelem a canibus devorata: *Hæcine est illa Jezabel?* IV. Reg. IX. Hinc sunt illi oculi, illa labia, etc. Non sunt. Quid ergo es? *Ego vox clamantis in deserto*. Et quid clamas? *Dirigite viam Domini*. Et quomodo dirigenda? Nolite credere diabolo, quia decipit: nolite fidere carni, quia inficit: nolite fidere sanguini, quia deserit: nolite fidere mundo, quia deficit: nolite fidere mammonæ, quia officit: nolite fidere potentia, quia non sufficit: nolite fidere superbia, quia interit. Si hanc vocem audiremus, sine dubio viam Domini dirigeremus. Audiebat aliquando S. Augustinus I. VIII. confess. c. XII. nondum conversus vocem clamantis: *Tolle lege, tolle lege*. Sed nondum eam agnoscens, cogitabat non forte pueri ludentes tale quid clamare solerent. Sed quia nihil horum audierat, librum accepit, legere incepit et obvium statim locum arripiens, inde conversus est. Non est ludus puerorum, vox ista defunctorum. Vox Dei est præcursoris mortis est, volentis nos præparare ad iudicium. Igitur tolle aliquod cranium vel os defuncti, lege in eo: et quid legis? Idem quod Augustinus legit: *Non in commensationibus et ebrietatibus: non in cubilibus et impudicitis; non in contentione et æmulatione: sed induite Dominum Jesum Christum*. Rom. XIII.

## CONCIO III.

## EXTREMI JUDICII ET JUDICANDORUM MANIFESTATIO.

I. Manifestabuntur omnia peccata. — II. Accusabuntur rei: 1. a propria conscientia, 2. a diabolo, 3. a læsis, 4. a Christo, 5. a creatoris omnibus.

## THEMA.

*Tu quis es?* Joan. I.

Facillima videtur esse quæstio hæc: Tu quis es? Revera tamen difficillima est, quia si Thaleti e septem sapientibus uni credimus, nihil difficilius, quam nosse seipsum. Thaleti assentitur Chilon, et ipse sapientum illorum unus qui solebat dicere: *Cave tibi ipsi*, sive *a teipso*; mōens isto verbo, sibi quemque maxime debere suspectum esse, propterea quod sæpe homo sibi ipsi maxime sit hostis. Laert. l. 1. Utrique adstipulatur Moyses, qui hoc idem fere dixit Deut. XV. juxta Septuaginta scilicet: *Attende tibi ipsi*. (ubi Vulgata legit: *cave*). Nimirum homines multo sæpius et turpius decipiunt seipsum, quam ab aliis decipiuntur. Existimant se justos, quos tamen aliquando in iudicio divino,

maximo suo damno et dedecore deprehendent injustos. Propterea ad quæstionem illam: *Tu quis es?* noluit Joannes categorice respondere, timens sibi ipsi, ne forsitan se deciperet. Vocem se esse dixit, hoc est, rem obscuram, quæ audiri quidem, sed nec videri, nec discerni potest. Neque S. Job respondere ad hoc ausus est. Ait enim ipse c. IX. *Si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea*. Neque Apost. Paulus, qui I. Cor. IV. ait: *Sed neque meipsum judico*. *Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum: qui autem judicat me Dominus est*. Unde ibidem quæstionem hanc remittit ad diem iudicii, cum immediate subdit: *Itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium*. Ita est, auditores, ita est. Omnes hic sub nube sumus. Unus ille dies clare nobis ostendet, qualis quisque sit. Id quod nunc audiemus.

I. Manifestabuntur omnia omnium peccata juxta verum illum: *Cunctaque cunctorum cunctis arcana patebunt*. Sicut enim inter homines, iudice sedente pro tribunali proponuntur facta eorum, qui iudicandi sunt, ut omnes videant sententiæ æquitatem: ita in magno illo et supremo tribunali publice proponentur omnia facta, dicta, cogitata, quæ præmio vel pœna digna, ita ut omnes et singuli intelligere possint, quid boni vel mali tota vita fecerint tam alii quam ipsimet. Hoc indicat Scriptura, cum ait Dan. VII. *Judicium sedit et libri aperti sunt*: et Apoc. XX. *Vidi mortuos magnos et pusillos, stantes in conspectu throni; et libri aperti sunt: et alius liber apertus est qui est liber vitæ: et iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris, secundum opera ipsorum*. Libri hi conscientia sunt singulorum in utramque partem, quæ in iudicio revelabuntur, ut scribit S. Hieron. in Dan. VII. et S. Ephrem l. de vera pœnitentia c. IV. «Formidabiles, inquit, libri aperientur, in quibus scripta sunt opera nostra et actus et verba et quæcumque egimus in hac vita: nec solum actus, sed et cogitationes et intentiones cordis.» Confirmat idem Apost. I. Cor. IV. cum ait: *Nolite ante tempus judicare quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium, etc.* Ubi etiam indicat modum, quo hoc fiet, per illuminationem scilicet mentium, quæ ita illustrabuntur a Deo, sicut colores et formæ rerum, quæ noctu latent in tenebris, a sole illustrantur et fiunt omnibus conspicuæ, ita ut non modo seipsum quisque, sed et alios aliorumque gesta intueri possit una cum omnibus circumstantiis et meritis eorum. Et quemadmodum sol restituit rebus colorem suum, quem nox atra illis abstulisse visa est; sic illucescente illo sole justitiæ, unus-

quisque suum genuinum et verum referet vultum. Sane de nocte putrida ligna videntur esse lumina, et vermiculi lucentes videntur esse stellulae, sic in mundo reprobi multoties videntur esse justi et sancti. Itaque primo patebunt omnia facta notoria omnibus hominibus, perinde ac ipsis patratibus; vel ac si in conspectu omnium essent patrata. Deinde patebunt omnia occulta in angulis et tenebris peracta: interna quoque uti cogitationes, desideria, intentiones. Tertio, speciatim patebunt omnium doli, fraudes, occultæ machinationes, hypocrites. Quarto, peccata in confessione occulta vel negata, peccata quæ non advertimus, vel oblitui fuimus, vel quæ pro peccatis non habuimus, uti etiam peccata aliena. Omnia hæc quamprimum patrantur, referuntur in libros illos; qui hic quidem clausi sunt, aperientur vero in iudicio et patebunt toti mundo.

Cogitate hic in primis, auditores, quanta sit futura electorum gloria, cum eorum virtutes et virtutum opera quæ hic occultare studuerunt, quæque mundus derisit, cum ingenti gloria mundo ostentabuntur! Quam sordebunt ibi vitia! Quam virtutes coruscabunt! Quam gloriosum erit tunc, sese humiliasse, sua merita auxisse, et tamen interim occultasse, aliis se subjecisse, infimum locum ambiisse, injurias illatas æquo animo tolerasse, innocentiam suam non prodidisse, concupiscentias fransse? Huc respexit Dominus, cum suadens sedere ultimo loco, dixit: *Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus*; cum scilicet audies: *Amice, ascende superius*. Luc. XIV. Huc respexit Apost. cum I. Cor. IV. dixit: *Tunc laus erit unicuique a Deo*. Ac licet etiam peccata illorum dimissa revelentur, id tamen non ad ignominiam, sed ad gloriam potius cedet illis.

Cogitate deinde, quantus sit faturus impiorum pudor, cum universæ iniquitates eorum, quas tectis et parietibus ædium suarum occultabant, cum viverent, coram oculis totius mundi delegentur? Imprimis quantum confundentur illi, qui gravissima et enormia scelera perpetrarunt, quibus patrandis angulos, tenebras et noctem quæsierunt? Si enim fures, latrones, venefici adeo confunduntur cum in foro lectis eorum sceleribus, publico et infami supplicio afficiuntur, coram exiguo populo unius civitatis, ut multi sibi necem inferant in carceribus, ne in theatrum producantur: quid erit stare in conspectu totius mundi, et audire quodammodo relegi coram omnibus stentorea voce scelera sua? Moyses cum adhuc in aula Pharaonis commoratus, occidisset aliquando Ægyptium, qui percusserat Hebræum, undique circumspiciens abscondit eum sabulo. Hoc vero cum quidam

I.

Hebræus advertisset, et altero die ei exprobrasset, timuit Moyses dicens: *Quomodo palmæ factum est verbum istud?* Exod. II. Si ergo Moyses territus fuit, quod unico Hebræo, viro de gente sua pateret ejus homicidium: quid erit diffamari de omnibus suis peccatis coram amicis et inimicis, coram notis et ignotis, coram Deo, angelis et hominibus? Caute quidem et circumspecte patrantur scelera graviora, sed nulla circumspectio Deum inspectorem fugit.

Deinde quam confundentur, qui per omne nefas innocentes persecuti sunt, spoliaverunt, condemnarunt, prætextu tamen justitiæ: cum eorum dolus, violentia et malignitas patebit toti mundo! S. Cyprianus martyr I. IV. ep. IX. scripsit ad Florentium criticum et obtrectatorem suum: «Hæc pro animi mei pura conscientia et Domini et Dei mei fiducia rescripsi. Habes tu litteras meas et ego tuas: in die iudicii ante tribunal Christi utraque recitabuntur.» Sic Edmundus Campianus soc. Jesu in Anglia martyr in l. X. ration. alloquens impiam Angliæ reginam: «Veniet, inquit, Elisabetha, dies ille, qui tibi liquido demonstrabit, utri te dilexerint, societas Jesu, an Lutheri progenies.» Væ nunc succumbenti, siquidem hic justus et victor haberi voluit.

Quantum confundentur Christiani ficti, amici falsi, infideles famuli, et quotquot denique sub ovina pelle lupum absconderunt, cum eis larva detrahetur? Ut enim inepti pictores, cum sub velo (ne videlicet in contemplatione sua perturbentur) depinxerunt ædes publicas, remoto velo et exposita ad conspectum pictura, omnium prætereunantium censuris taxantur et exploduntur: ita quoque impii, qui hic sub velo et pallio fidei, amicitia, religionis, turpiter vixerunt et suasmet animas fœde conspurcarunt, in die iudicii cum remoto velo hominibus patebunt, omnium cachinnis et ludibriis excipientur, juxta id Thren. II. *Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam; sibilaverunt et moverunt capita sua super filiam Jerusalem: Hæcine est urbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium universæ terræ?* Apparebit in hac domo seu in anima pictam fuisse sagam, in illa canem impudicum, in alia furem, etc. et dicetur: *Hæcine est illa matrona tam in templis frequens? Hæcine vir ille tam honestus, etc.?* In vitis PP. I. V. tit. de compunctione: *Monachus quidam qui negligenter vixerat, ægrotans raptus fuit ad iudicium, et invenit matrem suam jam mortuam cum iis qui iudicabantur. Illa autem ut vidit eum obstupuit et dixit illi: «Quid est hoc, fili? Et tu in hunc locum condemnationis jussus es venire? Ubi sunt sermones tui, quos loquebaris dicens: Volo salvare animam meam?» Confusus*

8

bac voce filius ac rediens ad se, inclusit se ad poenitentiam, ibique suam negligentiam assiduo deplorabat. Monitus ut fletum temperaret, futurum sibi noxium, noluit acquiescere, dicens: « Si improprium matris meae non potui sustinere, quomodo Christi et sanctorum ejus et angelorum adversum me confusionem potero in die iudicii sustinere? »

Quantum confundentur, qui in confessione peccata graviora reticent, negant vel excusant! Si enim eos pudet aperire ignominiam suam patri spirituali, qui eam pallio suo tegere et emplastro obligare cupit, quomodo sustinebunt publicum illud dedecus, quando eorum turpitudine ostendetur toti mundo? Eveniet enim istis, quod pigris quibusdam ancillis, quae dum obiter tantum et detritis scopis domum verrunt, nec sordes ejiciunt, sed subter lectum aut scamnum congerunt, cistaque admota obtegunt: tandem vero a domina inspectrice cistamque removente deprehenduntur et confunduntur. Quid enim aliud faciunt, qui sordes peccatorum suorum ejicere de corde jussi, obiter tantum conscientiam suam examinant, obiter et raptim confitentur aliqua, sed foediora abscondunt praetextu oblivionis vel ignorantiae, vel excusatione palliant? Quae illorum confusio erit, cum Deus amotis et explosis illis palliamentis, ostendet orbi sordes illorum, juxta id Nahum. III. *Ostendam gentibus nuditatem tuam, et regnis ignominiam tuam.*

Quantum pudefient, qui ingenti peccatorum sarcina praegravatos se videbunt quasi monte integro, vel ingenti quasi volumine scelerum characteribus undique exarato? Sane Zacharias propheta vidit c. V. volumen grande volans, longum viginti cubitorum, latum decem cubitorum in quo scripta erant scelera Judaeorum sui temporis. Et si Symmachus bene vertit, erat id non volumen totum, sed initium tantum vel compendium voluminis. Deus bone, si occultissima et minima quaeque ad solem tunc protrahentur, uti revera protrahentur: quantos scelerum libros secum afferent ii, qui ad multam usque senectam in sceleribus vixerunt; minora vero et quotidiana peccata pro nihilo habuerunt? « Quid tunc nobis miseris fiet, (inquit S. Chrysost. hom. V. in ep. ad Rom.) cum omnia orbi universo palam facta, in tam aperto tamque illustri theatro denudata, hominum partim nobis cognitorum, partim incognitorum oculis subjicientur. »

II. Neque vero hic defensionem, tergiversationem, aut excusationem locus ullus erit, quia causa et excusatio reprobatorum nimis manifesta erit. Primo enim accusabit et convincet eos propria conscientia, seu peccata eorum. Audi S. Basil. I. de vera Virgin. « Quae prius, inquit, torpore

quasi veste contacti, minime habere putabamur, ea nudata, se omnium oculis ingerent, nullusque jam vel negationi vel defensionem erit locus, quando ipsa cernuntur opera in suo actore conspiciua. Non enim confuse, sed singula per partes, ut sese habeant, velut in pictura noscentur. » Et S. Augustin. in Ps. XLIX. in illa verba: Arguam te et statuam contra faciem tuam? « Ordinabuntur, ait, ante infelicem animam peccata sua, ut et eam convincat probatio et confundat agnitio. » Non erit opus testibus vel scripturis, ipsamet cujusque conscientia testes proferet, scelera propria, quorum se ream aget. Videbit etiam clare omnibus constare hanc internam sui accusationem et condemnationem. Unde S. Greg. Nyssen. orat. V. de beatit. ait: « Quomodo vera certa que specula tales vultuum ostendunt effigies, qualescumque ipsi vultus sunt, hilares quidem alacrum, etc. ita ipsum iudicium nostris affectionibus assimilatur, qualiacumque a nobis commissa fuerint. »

Secundo, accusabit et convincet eos diabolus, juxta nomen suum. Est enim calumniator et fratrum accusator. Apoc. XII. Audi S. August. in conc. ad catechum. tom. VI. « Praesto, inquit, erit adversarius diabolus, recitabuntur verba professionis nostrae (in Baptismo scilicet factae.) » Et mox: « Aequissime, inquiet, Judex judica: justitia et iudicium praeparatio sedis tuae. Judica meum esse; qui tuus esse noluit, meus est: mecum damnandus est, post renuntiationem; ut quid invasit pannos meos? Quid apud eum impudicitia faciebat, cui ipse renuntiaverat? Quid intemperantia, quid avaritia, quid ira, quid caetera mea, etc.? » Et post: « Haec omnia mea post renuntiationem invasit, meus esse voluit, et mea concupivit iudicia. Judica aequissime, quoniam, quem tu non dignatus es tanto pretio liberare, ipse mihi se postmodum voluit obligare. Poteritne os aperire, qui post professionem suam talis invenitur, ut juste diabolo addicatur? » Haec August.

Hunc in modum diaconus quidam Murista nomine, in persecutione Vandalica apud Victor. Utic. I. III. persec. Vand. Elpidophorum apostatam, tam suum quam aliorum Christianorum carnificem, prolato linteo, quo eum olim de sacro fonte susceperat, redarguit terruitque dicens: « Haec sunt lintea, Elpidophore, minister erroris, quae te accusabunt, dum majestas venerit iudicantis, etc. » Haec enim symbola fidei et professionis nostrae proferet ibi daemon ad nos coarguendos.

Tertio, accusabunt et convincent illi, qui ab eis laesi sunt, innocentes, martyres, pauperes, et subditi ab eis oppressi, etc. Nitebatur Saul fucare suam inobedientiam circa deletionem

Amalec; sed interim prodebant eum greges ovium et armentorum, quos sibi reservarat et secum duxerat. Unde dicebat ei Samuel: *Et quae est haec vox gregum, quae resonat in auribus meis?* Quasi diceret: Tu te innoxium ais, sed greges hi te reum clamant I. Reg. XV. Idem facient impiis greges pauperum et innocentum, qui eorum domos suo sanguine vel sudore cruentare, vel exornare, ditareque debuerunt. Resonabunt enim in auribus Dei, vindictam postulantibus; imprimis vero eorum, qui ab aliis seducti sunt, querelae.

Quarto, accusabit et convincet ipse Christus, teste Malachia cap. III. ubi ait in persona Christi: *Acedam ad vos in iudicio, et ero testis velocis maleficis et adulteris et perjuris, etc.* Christus enim simul erit iudex et testis, isque *velox*, id est, promptus, (ut vertit Vatablus) seu expeditus, irrefragabilis, quia qua Deus omnia videt: qua homo omnia cognoscit per scientiam infusam aequae ac beatificam. Dicit ergo impiis: Ego vidi, o Cain, tuum occultum homicidium: ego vidi, o Juda, tuam occultam avaritiam, quae te impulit ad prodicionem: ego vidi, o Anania, et Sapphira, vestram fraudem et mendacium quod impostuistis apostolo meo: ego, o Juliane, tuam simulationem et hypocrisim: ego, o Luthere, tuum odium, quo inflammatus in pontificem, Ecclesiam turbasti; ego, o Calvine, superbiam tuam, qua solus tibi sapere visus, omnia alia derisisti, etc. Nonne tu sic faciebas? Sic et sic ambulabas? Haec et haec cogitabas? Et sicut Daniel deprehendit impostores sacrificulos, ciborum dolo appositorum depastores, per vestigia cineri impressa, dicens: *Cujus sunt haec vestigia?* Dan. XIV. sic deprehendit et convincet Christus improbos in ipsis suis vestigiis scelerum et damnis inde datis. Ite, proinde dicit, ite proditores, ite impostores, ite hypocritae, ite turbatores, etc.

Quinto, accusabunt et convincent caelum, terra et quae in iis sunt, quae peccatis impiorum interfuerunt; ac si eis Deus vocem dare vellet, uti aliquando dedit asinae Balaam, clamarent et condemnarent impios: siquidem hoc caelum, haec terra, hoc mare, etc. vidit, quodammodo et audivit scelera eorum. Facient autem id saltem ea ratione, qua surgent contra impios, cum in eos caelum fulmina vibrabit, cum terra dehiscet, cum ignis eos involvet. Accusabit et tempus, quod in peccatis absumpserunt, dies cujuslibet aetatis, mensis, anni, quibus impii vixerunt: proponentur eis fasti, monstrabuntur dies quibus hoc vel illud egerunt; quemadmodum testatur Jeremias Thren. I. dicens: *Vocavit adversum me tempus.* Statuentur enim in memoria impiorum omnes admissorum pec-

catorum circumstantiae, quasi praesentes forent, ut nihil negare possint. Verissime igitur dixit S. Chrysost. in c. XXIV. et XXV. Matth. « In illo die nihil est, quod respondeamus, ubi caelum, terra, aer, aqua et totus mundus stabit adversum nos in testimonium peccatorum nostrorum: et si omnia taceant, ipsae cogitationes nostrae et ipsa opera specialiter stabunt ante oculos nostros, nos ante Deum accusantes. » Tunc ergo fiet, quod dictum est Zach. II. *Sileat omnis caro a facie Domini, quia consurrexit de habitaculo sancto suo.* His enim tot tantisque testimoniis silentium imponetur omnibus iudicandis. Quod enim de Alexandro Magno omnium pene gentium domitore dicitur I. Mac. I. *Siluit terra in conspectu ejus;* hoc longe verius et verissimum erit tunc in Christo. Quod si igitur tuti in die illo esse volumus, inspiciamus nunc frequenter librum conscientiae nostrae, contemplerur quid in eo jam scriptum sit, ut deleamus: attendamus, quid in eo in posterum scripturi simus, ne Uriae litteras in nos ipsos conscribamus, et in proprio sinu gestemus. Fecerunt hoc sancti viri, qui nihil magis formidabant, quam iudicium illud: uti S. David Psal. CXVIII. dicens: *Confite timore tuo carnes meas, a iudicis enim tuis timeo;* S. Job cap. XXXI. *Quid faciam, cum surrexerit ad iudicandum Deus? Et cum quaesierit, quid respondebo illi?* Quasi dicat clavus iste unus infixus haeret cordi meo, qui nullam me capere quietem sinit: quomodo respondeam Deo? Et tamen is alibi c. XXVII. dixit: *Non me reprobavit cor meum in omni vita mea.* Cur ergo non hoc responso se armabat ad iudicium? Nempe quia novit alia esse Dei iudicia, alia hominum. Item S. Hieronymus, qui licet in eremo sanctissimum duxisset vitam, et ob metum gehennae in tetrum se damnasset carcerem, (ut ait ipse ad Heliod.) in epist. V. ait: « Ego peccatorum sordibus inquinatus, diebus ac noctibus operor cum timore reddere novissimum quadrans: et quoad mihi dicitur: Hieronyme veni foras. » Item abbas Alexander apud Moschum in prato cap. CLXIX. qui assiduo sibi dicebat: « Va tibi, Alexander, quanta erit confusio tua, cum caeteri coronabuntur? » Sed, quae hominum disparitas est? Boni hunc diem timent, qui timendi causam vix habent? Mali vero qui quam maxime habent, minime timent. Et quae hujus rei causa, nisi quia illi illuminatos oculos, hi vero malitia sua excaecatos habent? Rogemus ergo Deum voce unanimes cum s. matre. Ecclesia in hodierna oratione, ut mentis nostrae tenebras gratia sua visitationis illustret. Amen.

## CONCIO IV.

PERFECTIO DEI, ET HOMINIS IMPERFECTIO.

I. Quoad infinitatem.—II. Quoad simplicitatem.—III. Quoad immensitatem.—IV. Quoad aeternitatem.—V. Quoad immutabilitatem.

## THEMA.

*Ipsa est, qui post me venturus est, qui ante me factus est.* Joan. I.

Vir doctissimus, Tertulliano contemporaneus, et Origenis magister Clemens Alexandrinus, lib. III. Pædag. scribit: «Est disciplinarum omnium pulcherrima ac maxima, seipsum nosse; si quis enim seipsum novit, Deum cognoscit.» Docet ergo hic doctor, in duobus potissimum consistere disciplinarum omnium pulcherrimam ac maximam, in cognitione videlicet sui, et Dei. Quod ipsum expresse tradidit B. Catharina Senensi Christus cum dixit: «Si nosti, filia, quis sum ego et quæ tu, beata eris. Ego sum, qui sum, tu es quæ non es.» Sur. in vita XXIX. April. Non ignorabat hoc S. August. qui I. II. soliloq. cap. I. ait, brevissime et perfectissime sic orari Deum: «Deus semper idem, noverim te, noverim me.» Non ignorabat S. Franciscus, qui sic orare crebro solebat: «Domine quis es tu? Et qui ego sum?» Denique in hac disciplina versatissimum fuisse Joannem Baptistam, colligimus ex hodierno Evangelio, ubi duobus verbis sui et Dei cognitionem tradit, dum de seipso dicit: *Non sum*: de Christo vero: *Ipsa est, Medius vestrum stetit*, inquit, *quem vos nescitis: ipsa est, qui post me venturus est, qui ante me factus est*; quasi dicit: Ego non sum; ipsa est, quem vos me opinamini, Messias. Jam audi fructum hujus cognitionis: *Cujus non sum dignus, ut solvam ejus corrigiam calceamenti*. Ita nimirum, si agnosceremus nos et Deum; nos ipsos humiliaremus, Deum vero sicut decet, glorificaremus. Quod utinam hic discamus.

Exod. III. legimus aperuisse Deum Moysi nomen suum hisce verbis: *Ego sum, qui sum*, vel (ut Septuaginta) *Qui est*; hoc mihi nomen est in æternum. Id quod multis modis potest intelligi.

I. Deus est qui est, quoad infinitatem, quia est Ens a se universalissimum, infinitum et perfectissimum, adeoque fons totius entis, et essentiae pelagus immensum, in quo formaliter vel eminenter continentur omnia et unde omnia promanant tamquam a primo ente. Quia si esset ab alio, vel aliquid non ab ipso, vel quod non contineretur in ipso, jam non haberet omne esse, ac proinde non esset Deus. E contra homo est qui non est, quia habet esse donatum ab alio, scilicet a Deo, et Dei voluntate, quantum, quemadmodum et quousque Deus vult; atque ita ex se nihil est et nihil potest.

## CONCIO IV.

Secundo, quia ut ait Plato in Theæteto, plus habet non entis, quam entis; quia habet non esse cæli, terræ, lapidis, angeli et omnium rerum aliarum et plurima insuper peccata. Tertio, qui est tantum venula a pelago divinitatis descendens et in ipsum recurrens, habens juxta et extra se alias venas, etc. adeoque respectu illius oceani bonorum, nihil est.

Unde discite primo, quanta reverentia et humilitate agendum sit cum Deo, verbi gratia, cum oras, cum de Deo loqueris, cum Deo quid promittis vel offers, etc. Quis enim est Deus? Et quis es tu? Ille ex se est infinitum et omne bonum et omnia potest: tu ex te nihil es et nihil potes. Et quidquid habes, a Deo habes: quidquid potes ex Deo potes. Deinde omne bonum tuum, quod ex Deo habes, respectu boni, quod ipse est, nihil reputatur. Huc respiciebat Abraham, cum orabat: *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis*, Gen. XVIII.

Secundo, quantopere Deus amandus sit, quia in ipso infinite est, quidquid possumus concupiscere, ut nobis bene sit. In ipso est omne bonum, omne pulchrum, omne delectabile, omnis dulcedo, omnes divitiæ, omnis nobilitas, omnis majestas, omnis gloria, omnis sapientia, omnis potentia, denique vita æterna. Quis hoc tantum honorum omnium pelagus non amet, non desideret? Magna igitur dementia est, quæ rivulos et venas, et relinquere fontem omnium boni, in quo creata omnia longe perfectius reperiuntur, non minus, quam si quis umbram aut rudem picturam magni alicujus regni mallet eligere, quam ipsum regnum, aut leve unius horæ somnium de felicitate, quam veram et solidam felicitatem. De quibus Jer. II. dicitur: *Me dereliquerunt fontem aque vive, et foderunt sibi cisternas*. Et Psalm. LXXV. *Dormierunt somnium suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis*. Ut enim qui dormiunt, inani divitiarum, bonorum vel deliciarum imagine delusi, nihil horum inveniunt, cum evigilant, sed cum dolore vident se deceptos: ita accidit omnibus mundi amatoribus, cum excusso per mortem somno in luce alterius sæculi expergiscuntur.

Tertio, quam res nobilis sit servire Deo. Cum enim Deus infinitus major sit omnibus mundi regibus, infinitus etiam majus est servire ei, quam alicui regi terreno, imo quam esse monarcham totius mundi: sicut nobilior est aulicum regis esse quam pastorem ovium. Hoc nomine et titulo gloriatur in epistolis suis Paulus: *Paulus servus Jesu Christi*, S. Gregorius PP. ejusque successores, qui se Servos servorum Dei vocant, et B. Agatha, quæ præsidi objicienti vilem Christianorum vitam, respondit: «Chris-

## DOMINICA III. ADVENTUS.

tianorum humilitas et servitus longe præstat regum opibus et superbia.»

Quarto, quam stulta et explodenda sit hominum superbia, siquidem tot modis nihil, et non sunt.

II. Deus est, qui est, quoad simplicitatem, quia est ens simplicissimum et actus purissimus, tripliciter. Primo, quia non est compositus ex partibus; talis enim si esset, posterior esset partibus se componentibus, et ab illis haberet esse. Secundo, quia quidquid in ipso est, non est accidens, sed ipsa ejus essentia; unde et essentialiter bonus, sapiens, potens, etc. eaque bonitas, sapientia, potentia est ipsa ejus essentia; alioquin si esset inter Deum, ejusque attributa distinctio formalis, admittenda esset in Deo aliqua compositio, itemque productio præter eam, quæ est Filii et Spiritus Sancti. Tertio, moraliter, quia omni fuco et duplicitate caret.

Homo vero est, qui non est. Primo, quia compositus ex partibus, et singulæ partes non sunt ipse homo. Nam «secundum aliud homo est corpus, et secundum aliud est rationale, et singulum horum non est totum, quod homo,» ait S. Anselmus in Monologio, c. XVI. Rursum homo est tantum per accidens bonus, sapiens, fortis, justus, etc. Unde potest talis non esse. Unde «Deus amat ut charitas, ait S. Bern. I. V. ad Eugen. novit ut veritas, judicat ut æquitas, dominatur ut majestas, regit ut principium, tuetur ut salus, operatur ut virtus, revelat ut lux, assistit ut pietas, quæ omnia faciunt et angeli, facimus et nos, sed longe inferiori modo, non uti que bono quod sumus, sed quod participamus; Deus autem hoc ipso quod est? Ait enim: Ego sum qui sum:» Denique homo non idem est semper, qui apparet, sed multoties prima leo, postrema draco, media ipsa chimæra, ut ait quidam, quasi dicat varius, versatilis, fictus, bicors.

Discimus hinc, quam bonum et securum sit adhærere Deo, quam vanum contra et periculosum adhærere homini, et rebus creatis, fluxis et fallacibus. Deus enim est ipsa bonitas, æquitas, sapientia, vita, etc. et qui ipsum possidet, omnia ista possidet. *Qui adhæret Domino unus spiritus est*, (cum eo scilicet) ait Apost. I. Cor. VI. quia nimirum per charitatem et gratiam sit quasi divinus. *Elige ergo vitam*, inquit Moyses Deut. XXX. *ut et tu vivas et semen tuum: et diligas Dominum Deum tuum atque obediens voci ejus, et illi adhæreas (ipse est enim vita tua et longitudo dierum tuorum)*. Homines et creaturæ aliæ baculus sunt arundineus, qui cito frangitur, si innitaris ei; quia per accidens tantum bonæ, divites, formosæ, sapientes sunt: uti expertus est filius prodigus, qui in regione externa adhæsit uni civium regionis illius, et missus est ab eo in villam ut pasceret porcos,

Luc. XV. Hic finis, hæc merces est adhærentium mundo et hominibus.

III. Deus est, qui est, quoad immensitatem, quia est in immensum diffusus et totus ubique, id est, in mundo et extra mundum, omnia ambiens omnia penetrans, ideoque illocabilis et incircumscribitus, quatenus nullo loco circumscribi potest, sed «*Est ipse sibi locus*,» ut ait Damascenus libro I. de fide cap. XVI. Ratio est, quia si non esset immensus, posset aliquid eo majus et potentius cogitari; item posset aliquid esse extra Deum: rursum posset moveri loco, quæ omnia impossibilia sunt. Ergo sicut est infinitus in substantia, ita et in quantitate, quo pertinet illud Psalm. CXLIV. *Magnus Dominus et laudabilis nimis et magnitudinis ejus non est finis*. Et id Isaia LXVI. *Cælum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum*. Et Jeremiæ capite XXIII. *Cælum et terram ego impleo*. Ut enim spongia est in vastissimo mari, vel globus vitreus in lumine solis undique translucens, ita mundus est in Deo.

Homo est, qui non est, quia in mundo est, et in determinato atque angustissimo ejus angulo, et per partes quidem, ita ut singulæ ejus partes singulos obtineant locos.

Unde discimus primo, debere nos semper in præsentia Dei magna cum reverentia versari. Quis enim audeat in conspectu principis omnia pervidentis et valentis mox punire, adeoque pœnam intentantis, legem ejus violare? Refert S. Gregorius Nazianzenus carm. de subm. et tempor. meretricem a scelere absteritam intuitu imaginis Polemonis philosophi severe et graviter pictæ. Quis non efficacius absterreatur a sceleribus, si ad Deum ubique præsentem, omniaque coram inspicientem et notantem, oculos convertat? Et vero licet ejus præsentia sit invisibilis, satis tamen manifeste se prodit per ipsarum creaturarum speciem, in qua et lucet mira Dei sapientia et potentia; quemadmodum et anima, licet invisibilis sit, foris tamen se prodit per motus et operationes. Antigonus duos excubitores suos audiens sibi detrahente, velo quod intererat commoto, admonens dixit: «Longius discedite, ne vos rex audiat.» Seneca auctore libro III. de ira, capite XXII. Hoc tibi, cum offendis Deum, dicere Deus potest. Sed et audi Davidem: *Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es, etc.* Corruit Judæorum cohors, cum audivit dicentem Christum: *Ego sum*. Quis ergo audeat pugnare in Deum, undique præsentem et dicentem: *Ego sum*.

Secundo, fiduciam habere in Deo quibuscumque in periculis, ut qui nos ambit undique, ne facile permittat, ut quis nobis noceat. *Ego sum*, ait Dominus ad discipulos in tempestate navigan-